



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Contemplatio VI. De Mundi Duratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

cantes, sunt minùs communicantes, ut adedò ubique fiat compensatio ad æquabilem in describendis lineis æqualibus velocitatem requisita.

Ultima difficultas petitur à divisione virtuali, & sic proponitur: posset DEUS in continuo creare puncta in infinitum minora, ita ut locò unius in illo spatio divisibili crearet duò minora, & sic ulteriùs syncategorematicè procederet in infinitum: ergo tunc continuum posset dividi in infinitum. Resp. om. ant. dist. conf. posset dividi continuum aliquod indeterminatum, quod semper novas acquireret partes, con. continuum determinatum suis omnibus partibus jam constitutum, de quo hìc loquimur, ne. conseq. Sic vas, si novam semper affundas aquam, nunquam exhaurietur; sed non est hic quæstionis sensus. Dixi om. ant. sunt enim, qui hanc divisionem virtualem negent: si enim DEUS posset hujusmodi puncta in infinitum minora creare, posset condere Microcosmum avellanà nuce non majorem, in quo essent totidem stellæ, fluvii, animalia, palatia, &c. quot sunt in Megacosmo nostro, & quidem cum eadem proportionem magnitudinis & distantia partium, quæ in hac rerum universitate reperitur, quod quidem fateor esse nobis incomprehensibile, non tamen idcirco ostenditur impossibile.

Major adhuc est difficultas in continuo successivo, dum quæritur, utrùm DEUS possit durationes breviores aut minores semper & minores in infinitum producere: tunc enim, sicuti puncta secundum proportionem Geometricam duplo in infinitum minora in extensione, nunquam adæquarent primum; sic nec durationes in infinitum breviores aut minores adæquarent primam, uti patet in sequenti progressionem: $1. \frac{1}{2}. \frac{1}{4}. \frac{1}{8}. \frac{1}{16}. \frac{1}{32}. \frac{1}{64}. \&c.$ in qua si primus terminus supponat pro palmo, aut pro hora, reliqui omnes, quantumcunque augeantur, etiam simul sumpti nunquam adæquabunt primum, nisi fortè supponantur & ipsi actu infiniti. Igitur posset Deus creaturam conservare & punire syncategorematicè in infinitum, quin tamen excederet, aut adæquaret horam, quæ tamen hora fluere, dum alia creatura puniretur; quod, qui potest capere, capiat.

Atque ex his patet, quale iudicium ferre possimus de magnitudine mundi, & ejusdem partium generatim sumptarum, tam permanentium quàm successivarum, actualium & possibilium, crescendo & decrecendo in infinitum. Partium autem determinatarum magnitudo, aut diuturnitas colligi debet ex dictis & dicendis in Contemplationibus de Mundo, de atomis & primis principiis corporum, de tempore, de cælis, de elementis, materia subtili, &c.

CONTEMPLATIO VI.

De Mundi Duratione.

S*Inemo querat ex me, quid sit tempus, scio: si querenti explicare velim, nescio, inquit sapientissimus Ecclesiæ Doctòr August. lib. 11. Confess. Quid enim sit tempus, non ita clarum est; dari tempus, certissimum: nam Genes. 1. dicitur, quòd DEUS fecerit luminaria in Cælo, ut sint in signa & tempora. Rursus Actor. 1. dixit Christus Apostolis, non est vestrùm nosse tempora. Accedit communis omnium consensus, qui de tempore loquuntur, tanquam de re, quæ actu sit, dicuntque hoc vel illud longiori aut breviori tempore durare. Quod igitur*

Q²

suppo-

supponunt omnes, nobis, si fieri potest, explicandum est: pro quo adverto statim, duplex distingui tempus, extrinsecum nempe & intrinsecum: extrinsecum est mensura intrinseci, intrinsecum est forma illa, per quam duramus.

CAPUT I.

De Tempore.

§. I.

De Tempore Extrinseci.

Tempus extrinsecum juxta Aristotelem est *numerus motus secundum prius & posterius*. Explicatur definitio. Dicitur 1. *Numerus*, scilicet numerabilis. 2. *Motus* scilicet partium continuè fluentium, & sibi succedentium: sicut enim quantitas permanens, ut mensuretur, petit ejusdem rationis mensuram, v. g. ulnam aut hexapedam, ita continuum successivum ejusdem quoque rationis mensuram exigit, ut durationis longitudo vel brevitates innotescat: ergo mensura hæc debet esse aliquid fluens & continuè sibi succedens, qualis est motus & fluxus arenæ in clepsydra. Unde dicitur 3. *Secundum prius & posterius*, ut talis continuata & uniformis successio rei motæ aut fluentis denotetur.

Inter omnes porrò mensuras, quæ in tempus extrinsecum assumi possunt, nulla est exactior, nulla universalior, quàm quæ à Deo in hunc finem instituta est, nempe cælorum & siderum motus, præsertim Solis astrorum Principis, qui omnium est notissimus: Sol autem motu suo proprio annum efficit, & motu diurno diem, quem in 24. horas dividimus, horam in 60. minuta prima, minutum rursus in 60. secunda &c. hinc interroganti, quamdiu aliquis vixerit? R. per tot annos, dies, vel horas. Similiter in tempus extrinsecum assumi potest motus Lunæ, aut aliorum siderum, sique interdum inter hujusmodi astræ interveniat quædam regularis irregularitas, jam norunt Astronomi per motum primi mobilis illam corrigere & reducere. Et ad hunc cælorum motum universalem, continuum & æquabilem, omnis alia temporis mensura reduci debet, qualia sunt horologia rotata, hydraulica, clepsydræ &c. sicut autem in continuo permanente mensura non est propriè sui mensura, sed rerum aliarum extensarum; ita etiam motus solis non est propriè mensura temporis respectu sui, sed respectu rerum aliarum durantium: unde dicimus, hanc rem durasse per diem, seu per illud temporis intervallum, quo sol unam revolutionem ab ortu in occasum perficit; si verò quærat uterius, quantum sit hoc temporis intervallum, dicimus hoc esse per se notum, sicuti nota est Monachii mensura tritici.

Porrò cum Sol & Luna sint Luminaria magna præ aliis conspicua, atque omnibus maxime nota, iis potissimum usæ sunt Nationes per universum orbem ad mensuranda & definienda tempora, præsertim motu solis, ut dicebam, astrorum Principis. Jam enim Romani olim, & nunc communiter omnes per orbem Christiani anno solari utuntur, qui diebus constat 365. si communis sit, diebus 366. si bissextilis, propter diem intercalarem, qui mensi Februario additur ad compensandas minutias in aliis annis neglectas, ut explicabitur Contempl. 8. Ægyptii quoque utebantur anno solari, eumque, omnes negligendo minu-

tias

tias rotundè definiebant diebus 365. quos in 12. menses, 30. dierum singulos, distribuebant, additis in fine 5. diebus epagomenis; neque suo tempore diem adjiciebant intercalarem, quamvis caput anni sensim anticiparetur. Ægyptios secuti sunt Persæ. Eandem quoque formam tenuerunt Æthiopes, nisi quòd in anno suo bissextili, 6. adjicerent dies epagomenas.

Arabes econtra & Turcæ utuntur anno Lunari, qui nempe constat 12. lunationibus, veluti totidem mensibus, alternatim ferè 30. & 29. dierum singulis. Inde autem fit, ut annus Turcicus nostro brevior sit 11. ferè diebus; atque adeò Caput seu principium anni Turcici per menses nostros retrogreditur, & per omnes anni nostri dies vagatur, ita ut si v. g. hoc anno respondeat diei 6. Julii, anno sequente respondeat 25. Junii; aut 26. si fuerit annus abundans uno die, qualis apud ipsos est ferè tertius quisque.

Judæi verò Antiqui & Neoterici utuntur anno Lunari mixto, addendo nempe suo tempore mensem 13. ut annus Lunarum ad solarem reducat, & tunc fit annus Embolimæus constans 13. mensibus; menses autem singuli inchoantur à Neomenia seu novilunio.

Chinenses quoque annum habent Lunarem mixtum; à Judæis tamen discrepant in anni principio & quibusdam aliis, quæ cum hic locorum non adeò nota sint, operæ pretium erit hic attexere literas à P. Kögler Matheseos Præsidente Peckino datas 13. Novemb. 1723. sic ergo ille relationes alias corrigit, & annum Sinensem explicat. *Annus inchoatur à primo die Lunationis, intra quam sol ingreditur Pisces motu vero; ita quidem, ut si eadem die civili ab hora media noctis, usque ad alteram mediam noctem sol ingreditur Pisces, eodèmq; die accidat novilunium verum, etiamsi id contingat aliquot horis ante vel post ingressum solis in Pisces, ille dies sit initium anni novi. Atque hæc est regula fixa, primum mensem esse eam lunationem, intra cujus decursum, sumendo dies civiliter, accidit ingressus solis in Pisces: secundum verò mensem eam lunationem, intra quam similiter sol intrat Arietem, & sic deinceps. Namque secundus mensis seu lunatio alligata est æquinoctio verno: quintus solstitio æstivo: sextus Cancularibus: octavus æquinoctio Autumnali: undecimus solstitio hyberno. Inde ulterius sequitur, eum mensem vocari intercalarem, ac constituere annum embolismicum, quo mense seu lunatione decurrente non accidit ingressus solis in aliquod ex 12. signis. Sic anno seq. 1724. habemus in Sinis mensem seu lunationem intercalarem à 22. Maji, quo die accidit Novilunium, usque ad 20. Junii, quo die alterum contingit novilunium, intra quod dierum spatium sol nullum ingreditur signum: ingressus enim in Geminos fit 20. Maji, pertinèrque ad quartum mensem: ingressus autem in Cancrum fit 20. Junii sero vespere, quo die cum sit novilunium, erit prima dies mensis quinti: interjacens autem lunatio carens ingressu solis in aliquod signum, repetit numerum præcedentis mensis cum addito, intercalaris; atque ita sequente anno mensis nobis est duplicatus: prior simpliciter dicitur quarta Luna, alter quarta luna intercalaris. Ubi semper notandum, si eodem die civili coincidat novilunium verum, & ingressus solis in quodpiam ex 12. signis, nihil referre, utrum præcedat alterum in horis; ille enim dies dicitur primus ejus mensis, seu lunationis, quam denominat ingressus solis in suum signum. Sequitur exinde etiam, Lunas plenas & cavas, seu menses 30. aut 29. dierum Sinis non perpetuò alternare, sed secundum novilunia vera ab invicem discriminari. Sic anno seq. & Luna 4. intercalaris, & Luna 5. ambæ sunt parvæ, seu 29. dierum: è contrario Luna 8. 9. & 10. tres successivè se consequentes, sunt magnæ seu 30. dierum.*

Et si porrò Ecclesia Catholica Romana ex motu solis annum definiat, attendit tamen etiam ad motum Lunæ pro determinandis festis mobilibus, quæ dependent à Paschate. Pascha autem celebratur semper primo mense Judæorum,

rum, qui dicitur Nisan, cujus nempe Luna seu dies 14. in æquinoctium incidit, aut proximè æquinoctium vernum sequitur: non debet autem cum Judæis, aut Quartadecimanis Pascha celebrari in ipsa Luna 14. sed die Dominico, qui proximè Lunam 14. sequitur, consequenter hebdomade 3. intra diem 15. & 21. mensis primi Judæorum. Ut porrò inveniatur tam æquinoctium quàm Luna 14. in ordine ad Pascha, Ecclesia iustissimis ex causis non adhibet calculum Astronomicum, sed computum civilem & cyclicum, procedendo per dies solidos, & minutias hinc inde neglectas suo tempore, addendo vel demendo diem, compensando; ut omisissis litigandi occasionibus faciliores tradat regulas, quæ in toto terrarum orbe æqualiter à Christianis observari possint. Æquinoctium nempe diei 21. Martii, quæ est inter extremas, in quas æquinoctium incidere potest, quasi mediâ, affixit; Lunam verò 14. investigat per epactas in Calendario Ecclesiastico dispositas, numerando Lunam 14. ab epacta currente, quæ initium mensis lunaris indicat, & quotannis per 11. ferè dies regreditur, quia totidem ferè diebus solaris annus lunarem superat: hi proinde dies post ultimam lunationem residui, dicuntur epactales, & ætatem Lunæ initio anni sequentis indicant; quæ omnia melius intelligentur ex Contempl. 8.

§. II.

De Tempore intrinseco.

PRæter tempus extrinsecum, datur tempus intrinsecum, quod durationem dicimus: nam tempus extrinsecum duntaxat est mensura intrinseci, quod daretur, etiamsi nullum existeret tempus extrinsecum; sublato enim omni motu siderum, & alio quocunque, si DEUS me conservet, adhuc duro, possumque plus vel minus durare, & huic vel alteri virtualitati æternitatis Dei coexistere. Et hæc duratio probabiliter est entitas modalis, ob easdem rationes, quas pro unione attulimus: cum enim res durans indifferens sit, ut duret hoc vel alio tempore, ut coexistat huic vel alteri virtualitati æternitatis Divinæ, ut duret plus aut minus, debet dari aliquid, per quod hæc indifferentia tollatur, quod vix melius explicari potest, quàm per modum, quem durationem dicimus.

Dices: DEUS durat hodie & cras per hoc præcisè, quòd respondeat tali tempori extrinseco: ergo etiam id poterit creatura sine modo superaddito. Deinde duratio hodierna non posset à Deo cras reproduci aut conservari: ergo non minùs repugnaret ejus dominio, quàm creatura indestructibilis. Resp. ne. conseq. Disparitas est, quia DEUS ad nullum tempus est indifferens, sed ex essentia sua existit semper: ergo implicat dari aliud, quin eidem coexistat DEUS: creatura verò, cum sit indifferens, indiget alio determinante, quod nullam ampliùs habeat indifferentiam, qualis est entitas modalis. Ad alterum, iterum ne. conseq. Quòd enim DEUS essentias rerum mutare non possit faciundo contradictoria, nihil imperfectionis in eo arguit. Quod additur de creatura, quæ destrui non posset, utique hæc magis repugnat quàm creatura, quæ non possit conservari; quia prior nimiam perfectionem arguit, & minorem, quàm par sit, subjectionem ad DEI dominium: at verò ex eo, quòd creatura non possit conservari, potiùs arguitur defectus perfectionis, qui utique creaturæ non repugnat.

Quanta porrò sit durationum brevitates, patet imprimis ex motu siderum, quæ

quæ intra momentum seu arteriæ pulsum ingens percurrunt spatium, atque adeò producuntur innumeræ ubicationes diversæ, quarum quælibet suam habet distinctam durationem successivam, quæ omnem fugit imaginationem, & ab intellectu humano minimè discerni potest; non tamen id negaverim Angelis, quibus convenit ad maiorem DEI gloriam, ut has durationes possint discernere, quanquam vix aut omnino non possint concipere breviores, ut adeò non videant creaturam, quæ ex natura durationis per tempus notabile existat necessariò.

Quæres 1. quid sit æternitas? Resp. illam, si sumatur simpliciter & absolute, definiri à Boëtio, quòd sit *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*. Qua definitione, ut ait S. Thomas, duo continentur, ex quibus Divina æternitas nobis innotescit: primum est interminabilitas, id est, carentia principii & finis; alterum est uniformitas, & immutabilitas, seu carentia successionis & mutationis, quod per nomen possessionis designatur, quia id, quod possidetur, firmiter & quietè habetur. Et hæc æternitas perfecta soli Deo competit; hinc S. Aug. lib. 11. de Civ. Dei, ait: *DEI æternitas est DEI substantia, quæ nihil habet mutabile; ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit; sed non est ibi, nisi est*. Unde DEUS ipse dixit ad Moylen: *Ego sum, qui sum*. Æternitas tamen subinde accipitur pro quacunque alia duratione seu durationibus sine fine; sic dicimus, in inferno dari æternitatem poenarum.

Quæres 2. quid sit ævum? Resp. licet ævum sæpè nihil aliud denotet, quàm diuturnam ætatem, quo in sensu dicimus res aliquas v.g. plerosque montes esse mundo coævus, hoc est, tamdiu durasse ac mundus, saltem à tempore diluvii: Ævum tamen propriè est duratio indefectibilis rerum permanentium, & ex natura sua incorruptibilem, ut Angelorum & animæ rationalis; unde communiter dicitur esse quid medium inter tempus & æternitatem, in quantum dicit aliquod principium, sicuti tempus: nullum autem finem, sicut æternitas.

Quæres 3. quid sit tempus imaginarium? Resp. nihil aliud esse, quàm ipsas durationes rerum possibiles: sic ante mundi constitutionem dabatur tempus imaginarium, quia tunc DEUS, si voluisset, potuisset res cum variis durationibus producere: revera tamen nihil fuit actum, nisi Deus solus in seipso & in sua æternitate beatissimus. Unde S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei, *Ubi nulla est creatura, inquit, cujus mutabilibus motibus tempora peraguntur, tempora omnino esse non possunt*. Et lib. 11. Conf. cap. 15. Deum sic alloquitur: *Unde poterant innumera secula præterisse, quæ ipse non feceras, cum sis omnium sæculorum Auctor & Conditor, aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent?*

CAPUT II.

De Principio & Fine Mundi.

Mundus à Deo productus est in tempore: an autem absolute potuisset esse ab æterno, colligi potest ex dictis de infinito. Veritas hæc est de Fide contra Aristotelem, Epicurum, &c. *In principio enim, ut ait Script. Genes. 1. Creavit DEUS calum & terram*. Ex quibus duo colligimus, nimirum mundum fuisse creatum à Deo, seu omnino productum ex nihilo; & hoc in tempore,

pore, quia quod est æternum, à parte ante non habet principium; quæ doctrina ulterius in Conc. Later. explicatur. At forsan erit, qui insulsè dicat, Deum, si ita est, fuisse per totam æternitatem otiosum, minimèque convenire, ut tempore sempiterno nec movens moverit, nec summum agens egerit. Sed quis Dei Confiliarius est, qui audeat in ejus arcana penetrare? Deus mundum condidit, quando voluit: licet autem Deus tempore sempiterno nihil produxerit ad extra, cum sibi ipsi sit sufficientissimus, & per solam suam essentiam infinitè beatus; ab æterno tamen Pater generat Filium, & uterque spirat Spiritum sanctum. Cur autem hoc potius tempore quàm alio ad extra agere cœperit Deus, temerarium esset investigare; quia quæ fiunt pro mero arbitratu causæ liberæ, non habent causam naturalem & determinatam, quæ pro ratione allegari possit. Quod si quis importunè urgeat, & quærat, quid fecerit Deus, antequam mundum conderet? Respondet illi nonnemo apud S. August. lib. 11. Conf. cap. 12. quod *Alta scrutantibus gehennas parabat.*

§. I.

Quo anni tempore conditus sit Mundus?

ET si Chronologi & Historici facillè conveniant in assignando tempore æquinoctiali, utrum tamen Mundus Verno vel Autumnali tempore conditus sit, planè dubium est: Multis præplacet tempus Vernum, ita ut mundus conditus dicatur in æquinoctio Verno, & tunc sol in medio cæli positus cursum suum inceperit ab initio arietis, quo tempore incipit annus Astronomicus. Petavius cum aliis viris eruditissimis præfert æquinoctium Autumnale, hac potissimum ratione ductus, quod antiquitus Hebræi annum inchoaverint in Autumno, juxta illud Exod. 23. *Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* Additque primum à Mose novum anni sacri vel Ecclesiastici primordium constitutum esse in Verno mense, qui est Nisan, juxta illud Exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium: cum ab autumnali, id est Tisri, hætenus procederet.* Hanc distinctionem anni sacri & profani clarè explicat Josephus lib. 1. antiq. c. 4. Consonat S. Hier. ad cap. 1. Ezech. *Apud orientales populos, inquit, post collectionem frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis.* Et in hac opinione sunt Judæi Neoterici inchoantes annum à neomenia Tisri, tempore autumnali, existimantes mundum quoque tali tempore conditum esse: quia, ut insuper addunt aliqui, arbores erant fructibus plenæ.

Pro æquinoctio verno longè major stat Auctoritas; in hac enim opinione fuerunt unanimiter Patres congregati in Synodo Palæstina, à Theophilo Cæsariensi Episcopo sub Viçtoris I. Pontificatu celebrata, atque etiam ferè consentiunt Patres reliqui, uti Cyrillus Hieros. Basilius, Gregorius Naz. Ambrosius, Leo, Theodoretus, Joan. Damasc. Beda, & alii. Sic S. Ambrosius lib. 1. Hexaëmeron, ex eo quod Deus Moyse dixerit de mense Nisan, *primus erit in mensibus anni*, concludit: *ergo ut ostenderet Scriptura Veris tempora in constitutione mundi, ait, mensis hic vobis initium mensium.* Dein pluribus ostendit, quæ ratione tempus vernum & æstas subsequens longè magis conveniat orbis primordio, quàm autumnus, & hyems horrida subsequens. 2. Quia tempus vernum est illud, quo *terra germinat herbam viventem*: quod autem arbores etiam fructus protulerint, id

id in illis regionibus non miratur Theodoretus qu. 72. in Exodum, *Nam incunte Vere, ait ille, prata florent, & segetes fluctuant, & fructum arbores emittunt.* Hinc Levit. 23. dicitur: *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestrae.* Et hæc oblatio fiebat in Paschate tempore verno. Quæ omnia connaturaliùs adhuc fieri potuerunt in Paradiso terrestri, quia Deus arbores simul, & fructus produxit. 3. Aliud deducitur argumentum ex S. Leone, qui Serm. 9. de Pass. Domini ait: *Nunc ad prænunciatum festis omnibus festum sacer Novorum mensis enituit, ut, in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium.* Inde existimant non pauci verisimile esse, eodem seu simili tempore conditum esse primum Adamum, quo postea Christus secundus Adam: item creatum primò mundum, quo postea fuit recreatus & redemptus per Christum; atqui constat, Christum incarnatum, mortuum esse & resurrexisse circa æquinoctium vernum: ergo.

§. II.

De Mundi Ætate.

Vix est in Chronologicis controversia, quæ à pluribus ac majore studio examinata sit, quàm præsens de ætate mundi, & tamen paucos invenire est, qui in ea dirimenda conveniant. Prima & potissima difficultas, in qua solvenda plurimùm discrepant Chronologi, est circa Epocham Natalitiorum Christi. Judæi, & quotquot sunt Hebraici textus Suffragatores ajunt, Christum natum esse quartò millenario, atque ita increbuit hæc opinio, ut vulgaris habeatur: huic favet Editio vulgata, & Breviarium Romanum: hanc sequuntur plures Chronologi, inter quos Petavius, qui statuit annos ab orbe condito ad Christum usque fluxisse 3983. hanc tenent plures Historici, uti Alexander Nat. qui in sua historia Eccles. annos mundi ante Christum ponit 4004. paulò pauciores assignat Hibnerus in sua Hist. Prof. In hoc tamen conveniunt Scriptores plurimi, quòd existiment Christum natum esse circa finem quarti millenarii, ut adeò hæc opinio non faciliè rejicienda videatur.

Interea tamen stat etiam pro sexto millenario Auctoritas maxima, imprimis Auctoritas Patrum: Origenes in dial. contra Marcionitas sic ait: *Itaque sexies millesimo anno descendit (Christus) postquam ille Conditor hominem finxerat.* Cyprianus in præf. lib. de Exhort. Martyrii: *Sex millia annorum jam penè complentur, ex quo hominem Diabolus impugnat.* Ambros. Expof. in Lucam, de transformato seu transfigurato Christo agens disertis verbis ait: *Plures quàm sex mille computantur anni.* August. lib. 20. de Civ. Dei cap. 7. ait: *Veritatem exploratam esse suæ ætatis homines esse in sexto millenario, Cujus nunc, inquit, spatia posteriora voluntur.* Denique Clemens Alex. & Theophilus Antioch. uterque ajunt, sexto annorum millenario apparuisse Dominum. His accedit Auctoritas veterum Historic. & Chronologorum, qui ante Bedam, qui 8. sæculo vixit, ferè omnes in hanc conspirarunt sententiam. Sic Julius Africanus antiquus & eruditus Chronologus, Christum incarnatum asserit anno mundi 5501. Et hæc Epochæ celebris erat in Ecclesia Alexand. & Constantinop. & hunc calculum etiam sequuntur Græci, Armeni, Moschi, &c. Eusebius Cæsariensis ex hac Africani summa primus detraxit annos 300. Christique Natalitia statuit anno 5200. Eusebium secuti sunt Severus Sulpitius, Paulus Orosius, S. Prosper in Chronico, Gregorius Turonensis, &c. Accedunt Sinarum annales, quos nec morosissi-

fimi Cenfores, ut quibusdam placet, rejiciunt; ex iis autem constat, illorum Imperium 3000. plus minus annis ante Christum fundatum fuisse à Fohi primo illorum Rege: unde si Christus natus est quarto millenario, sexcentis ante diluvium annis conditum fuisse Sinenſe Imperium neceſſe eſt: Hebraici enim calculi fautores omnes diluvium ſtatuunt anno ab orbe condito 1656.

Qui poſtiores hanc opinionem amplectuntur Recentiores, multis contendunt, quamvis non ſufficienter probent, à Rabbiniſ ſequioris ævi vitium eſſe Codicem Hebraicum, ut nempe Chriſtianorum rationes de adventu Meſſiæ eluderent. Deinde nituntur in 70. Virorum interpretatione, & Martyrologio Rom. in quo legimus 25. Decemb. Chriſtum natum eſſe anno ab orbe condito 5199. Sed hujus loci non eſt, pluribus hanc quæſtionem diſcutere: id ſolum addo, cauſam hujus diſcrepantiæ potiſſimum oriri ex diverſitate Codicis Hebraici & Græci 70. interpretum: & etiamnum acriter diſputatur, in quem ex duobus irreperit error.

Patres & Chronologi, qui uſi ſunt Græco Codice, ſtant pro ſexto millenario: ipſe D. Lucas, ut quibusdam videtur, illo Codice uſus eſt, uti præter alia patere credunt ex Genealogia Chriſti cap. 3. quæ conſonat cum textu Græco. Alii econtra, qui uſi ſunt textu Hebraico, ſtant pro quarto millenario, & hunc Codicem, veluti primarium veteris teſtamenti fontem præferendum exiſtimant.

Altera difficultas eſt, quot anni effluxerint à Nativitate Chriſti: vulgaris opinio eſt, totidem effluxiſſe, quot nos Chriſtiani numeramus. Sic quia dicimus, Sereniſſ. Baviariæ Principem Electoralem Maximilianum natum eſſe anno 1727. id intelligitur communiter de annis, qui elapſi ſunt à Chriſto nato, ita ut Chriſtus ſupponatur natus ſub finem illius anni, qui præceſſit illum, quem dicimus primum; hinc vocantur anni Chriſti, anni à partu Virginis, &c. & huic opinioni favet Ricciolius. Sunt tamen quidam Critici, qui potiùs annos Æræ Chriſtianæ, quàm annos Chriſti nominandos velint; quia contendunt, Chriſtum natum eſſe aliquot annis ante illum, quem Chriſtiani dicunt primum. Sic Alexander Nat. contendit, Chriſtum natum eſſe anno quinto ante æram vulgarem, idque probat ex obitu Herodis, & rationibus aliis. At cum hæc diſcrepantia paucorum ſit annorum, non facit ad ætatem mundi ſicut prior, quæ plurius eſt ſæculorum. Quamvis autem de ipſo anno Nativitatis Chriſti inter ſe controverſentur multi, in eo tamen conveniunt omnes, quòd annus primus Æræ Chriſtianæ habuerit cyclum Solis X. Lunæ II. Indictionis Romanæ IV. conſequenter, quòd annus iſte fuerit 4714. Periodi Julianæ, atque adeò controverſia hæc nullatenus immutat rationem temporum, quæ ab æra Chriſtiana dependent.

Qui plura cupit de ætate mundi, præter Auctores citatos legere poterit tractatum ſpeciale, quem de Æra mundi conditi & Chriſti Paſſi anno 1734. edidit P. Nicaſius Grammatici, in quo ille totam hanc materiam ex S. Script. ex Hiſtor. Eccleſ. & Profana, atque ex characteribus Aſtronomicis & Chronologicis diligenter examinat, ac denique conſideratis omnibus ſtatuit ætatem mundi à ſui origine uſque ad æram Chriſtianam rotundè annorum 4000. Chriſtum Dominum verò natum aſſerit quinquennio ante æram Chriſtianam, atque expletis die 25. Decemb. 33. vitæ annis, paſſum & mortuum eſſe anno æræ vulgaris Chriſtianæ 29. die 18. Martii, feriâ 6. Quare in hac opinione, ſi anno currenti Chriſtiano addas annos 4000. ætatem mundi ſemper obtinebis.

§. III.

De Fine Mundi.

ET si mundus magnas mutationes passurus sit, & secundum quid periturus, simpliciter tamen durabit æternum. Prima pars probatur clavis Scripturæ testimoniis; nam imprimis id patet ex Matth. c. 24. ubi Christus describit diem judicii. Deinde 2. Petri 3. legitur: *Adveniet dies Domini, ut fur, in quo celi magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & que in ipsa sunt opera, exurentur.* Qui textus magnam partium destructionem, & mutationem denotant. Patet etiam pars altera; quia sedes Beatorum & damnatorum erit perpetua; hæc autem non erit extra mundum: mundus ergo etiam hinc durabit æternum. Unde Eccles. cap. 1. dicit: *Terra autem in æternum stat*, non quidem immutata, sed saltem veluti massa, in qua absorbeantur damnati. Quid autem de nostro mundo aspectabili post diem judicii futurum sit, incertum: novam celi visibilis terræq; faciem post dictas mutationes secuturam innuit S. Petrus in sua epist. dum ait: *Novos vero celos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Quem in finem? an pro parvulis sine baptismo decedentibus, controversia est inter Scripturistas.

Quod verò aliqui statuunt circa tempus, quo celi & terra solventur, aut error est, aut conjectura levis, cum dies hæc suprema in Divinis lateat decretis. Sunt autem aliqui, qui diem illam putent remotissimam, nec adventuram prius, quam absolvatur annus Platonicus annorum 25920. de quo Contempl. 8. At hæc conjectura est, ex qua nihil concluditur. Alii longè propiorem credunt juxta vaticinationem Elianam, quâ dicitur: *Sex millia annorum durabit mundus, duo millia inane, duo millia Christus.* Sed hæc vaticinatio ab Eruditis habetur apocrypha, de qua nec per somnium cogitavit Elias: sique incerta est, ut vidimus, de præteritis, quid in ea certi sperabimus de futuris? Imò sunt aliqui, qui legem Gratiæ & Ecclesiam Christi diutius duraturam existiment, quam legem Naturæ & Mosaicam, cum hæc fuerit duntaxat illius umbra & figura. Sed quis Dei Consiliarius fuit, ut ista possit asseveranter affirmare?

Nec majoris momenti est vaticinatio illa Malachiæ, quæ circumfertur de numero Summorum Pontificum, qui supersunt eligendi, & sunt ibidem ænigmaticè descripti: si tamen est S. Malachiæ Dunensis Archiepiscopi, qui vixit sæculo 12. sunt enim, qui arbitrentur illius vaticinationis Auctorem longè posteriorem esse, quamvis illam evulgaverit sub nomine Malachiæ, & jam inceperit à Cælestino II. qui electus est anno 1143. Hinc est, quòd priorum Pontificum seriem plerumque satis graphicè depingat; posteriorum autem, qui hoc & priore sæculo vixerunt, ita obscurè, ut sæpius etiam post electionem opus sit Oedipo, qui ænigma solvat. Primus in hoc sæculo Pontifex Clemens XI. Sic describitur: *Flores circumdati.* 2. Innocentius XIII. *De bona Religione.* 3. Benedictus XIII. *Miles in bello.* 4. Clemens XII. Pontifex hodiernus, *Columna excelsa.* 5. Secuturus: *Animal rurale.* 6. *Rosa Umbria.* 7. *Ursus velox.* 8. *Peregrinus Apostolicus.* 9. *Aquila rapax.* 10. *Canis & Coluber.* 11. *Vir Religiosus.* 12. *De balneis Hetruriae.* 13. *Crux de cruce.* 14. *Lumen in celo.* 15. *Ignis ardens.* 16. *Religio depopulata.* 17. *Fides intrepida.* 18. *Pastor Angelicus.* 19. *Pastor & Nauta.* 20. *Flos florum.* 21. *De medietate Luna.* 22. *De labore Solis.* 23. *Gloria olivæ.* 24. Denique in persecutione extrema S. R. Ecclesiæ sedebit Petrus

Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis civitas Septicollis diruetur, & Iudex tremendus judicabit populum. Ita hæc Prophetia. Sed his omiſſis dicamus cum æterna veritate: *De die autem illo & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum.* Matth. 24.

CONTEMPLATIO VII.

De Mundi Loco.

Vacuum ex Arist. 4. Phys. est locus carens corpore, aptus tamen repleri: ita si in dolio nec esset vinum, nec aër, aut aliud corpus, daretur vacuum. Ubi vides juxta hanc definitionem ad vacuum duo requiri, nempe positivum aliquid, seu corpus aptum ambire aliud, & negationem corporis in eo contenti; unde extra cælum Empyreum, ubi nullum est corpus, dicunt, non dari propriè vacuum, sed inane tantum, seu vacuitatem. Si vacuum sit amplum, dicitur coacervatum; si modicum & insensibile, dicitur vacuolum. Non dari vacuum coacervatum in natura, conveniunt omnes; tum quia nullum habemus illius indicium, tum quia natura exigit, ut omnes illius partes sint connexæ, ut fiat totum aliquod perfectum, in quo fieri possit inter partes communicatio; quod fieri non posset, si per vacuum coacervatum disjungerentur. De Vacuolis jam egimus Cont. 2. ubi de Atomistarum principiis, & Contempl. 4. ubi de rarefactione: de metu vacui agemus Contempl. 9. Nunc de loco, qui, uti tempus, dividitur in extrinsecum & intrinsecum, primus ambit rem locatam; alter in re, quam locat, recipitur.

C A P U T I.

De Loco extrinsecò & intrinsecò.

Locus extrinsecus definitur ab Arist. *Superficies corporis ambientis prima & immobilis.* Dicitur 1. Superficies, hoc est, pars extrema corporis alicujus, v. g. aquæ, quæ piscem intra se natantem undique secus ambit, sicut vas ambit liquorem contentum: unde dicitur 2. corporis ambientis seu continentis aliud, & non contenti, aliàs pelles animalium essent eorum locus extrinsecus. Dicitur 3. prima, hoc est, immediata & proximè tangens locatum, ut nempe locus proprius & verus cujuslibet rei distinguatur à communi, nam v. g. templum est locus communis plurium, non tamen cujusque proprius. Dicitur 4. Immobilis, quia superficies illa immediata, ut talis consideratur.

Hinc sequitur 1. aliquid posse moveri, quin mutet locum extrinsecum: ut quando dolium vino plenum transfertur, tunc vinum non mutat locum extrinsecum, sed duntaxat intrinsecum, licet dolium ipsum mutet locum extrinsecum. 2. Aliquid potest mutare locum extrinsecum, quin moveatur: sic rupes in medio fluvio, licet immota, mutat perpetuò locum extrinsecum, eò quod aqua rupem ambiens semper circumfluat alia. 3. Potest aliquid existere, quin sit in loco extrinsecò: sic existit mundus, si sumatur totus per modum unius, quia ultra cælum empyreum non est aliud corpus ambiens, sed sola im-

men-